

2

12

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
*De*  
NÆVIS MATERNIS  
INFANTUM,

*Quam*  
Sub Præsidio Dei Archiatri  
JUSSU & AUCTORITATE  
*Gratiosissimi atque Excellentissimi,*  
MEDICORUM COLLEGII.

*In Inclÿta & Antiqua Helvetiorum*  
UNIVERSITATE.  
Pro supremis in Appollineâ Arte consequendis  
Honoribus atque Privilegiis.

*Ad Diem 26. Julii Ævæ Christianæ M, D. CCI.*

Loco Horisque consuetis

*Publica Eruditorum censura exponit*

JOH. HENRICUS SULZERUS,  
Vitodurô Helvetius,



DISSERTATIO IN ALCURALIS MEDICA

# NAEVIS MATEMIS INFANTUM

Sub Praesidio Dei Archiducis

JOSEPHI & AUCTORITATE

Gratissimam aequae Excellentissimam

MEDICORUM COLLEGIUM

In Insula & Antiqua Helvetiorum

UNIVERSITATE

Pro scripturis in Apollinea Aere consequendis

Pro scripturis in Apollinea Aere consequendis

JOHANNES BAPTISTA M. D. C. C. C.

Loco Helvetiae confectis

Pro scripturis in Apollinea Aere consequendis

JOHANNES BAPTISTA M. D. C. C. C.

Pro scripturis in Apollinea Aere consequendis

BASILEAE Typis JACOBI BERTSCHMANNI





P R Æ F A M E N.



*X*perientia quàm conso-  
num sit illud Medicina Fundato-  
ris de Fragilitate & Misera Mife-  
ricosmi Α Φῶρισμα: Ο λⓄ Α ν-  
δρωπⓄ ἐκ γενετῆς νεσὸς ἐστὶ: Id  
nobis probatum reddunt, singula  
vita nostra etates, quarum una-  
queque peculiaribus in infirmam  
& caducam corporis nostri Ma-

chinam, tanquam mortem ipsi minantibus deservit mor-  
bis. Vix enim ac infans Uteri claustra perfregit ingens  
morborum farrago eum, quasi unda procellosa navim è  
portu solventem subito obruunt: interdum verò prater-  
lapsis incarcerationis diebus, ergastulo valedicturus ipsi  
ob viarum angustiam in ipso subsistendum est limine,  
Et quamvis primos dies & etiam Annos incolumis eva-  
sisse ipsi obigit: Non tamen propterea à morbis immunis  
existit, sed varia invasionum genera ipsi adhuc sunt ex-  
pectanda, superanda. Et ò quàm ingens est numerus  
eorum, qui provectiorem quidem aetatem, imò senectū-  
tem vident, quorum verò vite curriculum nihil, nisi  
continuus est morbus; & si ipsorum dies numerandi,  
multò plures eorum morbofi, quàm verò sani certè fue-  
re. Verùm, quemadmodum Planta, non exorta solùm,  
variis injuriis sunt subjecta, ita ut sapius vel nullà co-  
gnitâ manifestâ causâ flaccescant, marcescant, vel planè  
emoriuntur; sed interdum ipsorum rudimentis intra se-



men vel radicem in terra defosis existentibus & hiare incipientibus aliquid accidere potest, quod vel illas monstrosas planè reddat, vel ipsarum natura sit inconueniens & illas deformat. Ita inter alias Embryonis vel fetus in utero lesiones non adeò infrequentes sunt Monstrosa ejus conformatio, & Nævorum quos vocant Maternos contractio. De quibus hisce quantum pro divinità, quam sollicita prece ambio concessâ gratiâ, & ingenii modulo licuit, inaugurale nostrum Specimen contexere tentavimus, non quasi de iis absolutum & integrum Opus adornaturi, quippe pro labore quo suscipiundo nostra Animi dotes impares forent, institutiq; ratio vetaret. Paucos igitur de hocce nostro Themate tantum modò paragraphos Æquæ B. L. censura submittimus, quos si insulsos ipse percipiet, suæ sapientiæ sale ut sapidos reddere velit enixè & submissè rogamus.



Q. B. V. T. O. D.

*Dissertationis de Infantum Nævis*

*Maternis.*

S. I.

COMMUNISSIMO & simplicissimo pluribus à scriptoribus in divulgandis thesibus observari solito nos committentes & insistences Tramiti, *αισθησιολογίαν* primò explanare oportet. Et quanquam pro symptomate hoc indigitando non magna vocabulorum occurrat diversitas; attamen unum vel alterum diversæ originis apud Lexicographos invenire licet. Græco idiomate primò vocatur *σπίλον*, *σπίλωμα*, quod, idem ac macula, Labes, à verbo *σπίλω*, maculo, labem infero, quæ quidem vox pluribus tribui solet rebus, ut cùm in N. Test. uno & altero loco metaphoricè usurpetur pro probro & ignominia, sed quæ

strictè



strictè solummodò dicitur de Nævis Maternis Infantum. Alia voce vocatur, κηλῖς, macula, ulcus, cicatrix. Latino dialecto communissimè appellatur, Nævus Maternus. Item Macula originalis, signatura fœtus. &c. Vernaculâ nostrâ linguâ nomine gaudet, eines angebohrenen Maals / Mutter Maals. Breviùs Unmaal.

§. II. A Fractatione Nominis nostri affectûs, ut ipsius natura plana magis reddatur, ad propriam ejus definitionem digredimur. Definimus itaque *Nævos Maternos* quòd sint: Symptoma Qualitatis Corporis mutatæ consistentes in diversis notis, maculis, & characteribus superficiei corporis quorundam infantum tempore gestationis à Matris variis Imaginationis vitiis, Animi Pathematibus comitatis impressis. Diximus esse eos Symptoma qualitatis corporis mutatæ, quod quidem in hoc consistit, quod in eo aliqua naturalis corporis qualitas mutetur, ex cujus tamen mutatione nulla actionum læsio sequatur. Et huc commodissimè tales quin sint referendi nihil videmus quod impediatur, cum illi ut plurimum consistant in unius alteriusve loci corporis præter naturam observabili colore, vel aliqua sub certâ interdum figurâ conspicienda protuberantiâ, omnibus à diversa Imaginatione Matris modificatis; subinde etiam in pilorum, in parte aliâs depili certâ serie procrescientiâ; vel etiam in vulneribus & ulceribus hic vel illic in corpore observabilibus. Prout exemplum habet *Cornelius Gemma L. I. suæ Cosmotr. C. 6.* cujusdam mulieris gravidæ, quam mox instante partus tempore maritus stricto gladio insequabatur, & ejus fronti minabatur, quæ postea prolem peperit magnum in fronte vulnus gerentem; ex quo sanguis abundè effluxit. Quod an & quomodo à subito Matris terrore deduci possit, inferius dispiciemus, estque ad morbos solutæ unitatis; ut & exemplum Schenckii, Infantis superiore labio carentis ad structuræ organicæ morbos referendum.

§. III. Quòd si quid Nævi Materni nomen vult mereri, oportet, prout in Definitione dictum, tempore gestationis fœtui imprimatur; Etsi enim infanti cuidam statim ac utero egreditur, Maculæ quædam imprimerentur; ut sunt



Maculæ infantum volaticæ, Hepaticæ, &c. iis inconueniens hoc foret nomen, sed oportet ut infans tale quid sub solem fecum afferat, & quidem ex Matris communicatione; sæpe enim fœtus in utero, habitus aliquod vitium à morbis inibi perpeffis, v.g. à variolis vel aliis affectibus contrahere sibi potest, prout Materni Nævi haud facillè debile, cui nihilominus istud nomen non competit, ut & non magis certæ hominum Idiosyncrasie dictæ; Dum quis vel nequit perferre visum Ensis strictæ, quod de Angliæ Rege Jacobo Primo perhibent, vel cùm quis tollerare nequit feles, vel caseum & similia. Neque etiam huc afferri debent Morbi dicti Hæreditarii, sed quorum characteres jam dedimus proprie dicti Nævi Materni. Alia quæ quidem cum hiscè eandem sæpius habent causam, & requisita ferè omnia; sed quoniam gradu illos excedunt, vel sunt rariora, & eorum aspectu hominibus terrorem injiciunt, minùs horum nomine, verùm Monstra appellari consueverunt.

§. IV. Homines an impressionibus talibus à matre ipsis contingere solitis, sint subjecti & obnoxii, res est omnibus certè notissima, & neminem inveniri credo, qui contrarium sentiat, tales enim quotidianâ experientiâ facillimè possent convinci, cùm non solùm Medicorum observationes infinita horum exemplorum serie scateant; sed & eorum viva dentur plurima. Quorum propterea unum & alterum pagellis nostris inseri haud inconueniens fore existimamus, scribit *Justinus* libr. 15. histor. Laudicem uxorem cujusdam Antiochi, Clari inter Philippi Duces viri, per quietem visam sibi fuisse ex Apolline concepisse, & pro mercede concubitûs Anulum ab Apolline recepisse in cujus Gemma Anchora insculpta esset: & postea filium peperisse Seleucum, notam Anchoræ in femore gerentem. Aliud exemplum refert *Baldwinus Ronssæus* Libell. de primord. Homin. c. 10. Goudæ in Hollandia Mulierem quandam videntem greges gallinarum Indicarum sic consternatam fuisse, ut postea pepererit fœtum habentem faciem multis excrescentiis carnosis, multiformis coloris, Galli Indici instar deturpatam. Sic scribit *Jacobus Horst.* Se non tantùm colores & maculas, sed carnea fraga & cerasa, virtus



virtute imaginationis in dorso & genis producta sæpe vidisse.  
Perhibet *Schenckius* in L. observ. rar. Cujusdam uxori contigisse,  
quod propter frustum carnis ei à Lanione in macella denega-  
tum, ita iracunda facta fuerit, ut sanguis ei è naribus effluerit;  
& cum eum defluentem perciperet & à labris abstergeret,  
enixa tandem fuerit foetum supremo labro carentem. Notat  
*Fiems*, sibi narrasse virum quendam gravem & fide dignum:  
Mulieri cuidam gravidæ, juxta murum ambulanti Lacertam  
in pectus desiliisse; inde ipsam graviter consternatam paucis  
post diebus peperisse foetum in pectore carneam Lacertam  
habentem. Non tantum autem hisce ex Antiquis Authori-  
bus depromptis res potest reddi probata, sed & præter alios  
recentiores magis Authores, viva & novissima nobis ad id  
firmandum prostant Exempla: Recensebat enim mihi ali-  
quando *Vir Excellentiss. atq; Clarissim. D. Nicolaus Eglingerus Medic.*  
*Doct. ejusdemq; Theoret. P. Profess. Celeberrim. Reipublic. Basiliens.*  
*Archiatr. Experientiss. Patronus & Præceptor. Ætatem devenerand.*  
Heic loci notam sibi esse filiam quandam, Murem in facie ge-  
rentem, ex subito matri ab hoc Animalculo injecto terrore,  
ipsi affixam. Item ex ejusdem Viri Excell. recensione furor  
quidam uxori prægnanti non ita pridem, alterius ipsius  
manus duos digitos, sibi à nativitate coalitos, ferroq; olim  
separatos ostendit, ex qua ostensione uxor subito terrore &  
horrore prehensa foetum enixa est duobus itidem digitis ita  
conglutinatis. Ipsemet & ego novi filium quendam Erinacei  
figuram in capitis pilosa parte delineatam habentem, cujus  
Matri, cum ipso cum gravida fuisset Erinaceus vivus à pueris  
ante pedes projectus fuit. Nota quoq; mihi est filia, cujus  
Parens, ardentissimo vini rubri desiderio affecta, votoq; ino-  
pinatò potita, ipsam peperit maculâ valde rubrâ alteram fa-  
ciei partem obtegente. Et quare hoc minus fieri debeat non  
video quid obstat, cum idem contingere soleat in brutis,  
quanquam imaginationis, (quâ tamen & illa pollent, aliquo-  
modo) exactitudine & firmitate hominibus multum ceden-  
tibus; Quæ itidem minori cum vehementia Animi pathe-  
matibus auscultare solent. Multa enim dantur exempla eor-  
um, quæ præter consuetudinem catulos suos sub alio co-  
lore,



lore, ipsorum diverso produxerunt. Inter quæ sunt oves Jacobi, quæ potatum euntes ex conspectu virgarum viridum Populearum & Amygdalinarum hinc inde decorticatarum, postmodum congressæ ex firma suo modo harum virgarum imaginatione foetus procrearunt coloris variegati. Genes. 30. Præter quod exemplum alia nævosorum brutorum foetuum haud sunt infrequentia, quorum si non singula, quædam tamen Matrum imaginationi sunt tribuenda. Si ergo brutorum imaginatio tales producere potest effectus; cur non similes ea Hominum! Tales omnino, imo frequentius multò stupendiores.

§. V. Nævi hi hætenus ab Authoribus dispesci consueverunt in *protuberantes* & *planos*: Ad quas duas Classes omnes eorum species referre sategerunt, quod, qui fieri possit commodè perspectum non habeo; ad quodnam enim horum generum illi mihi reducent Exemplum illud *Schenckii* §. præcedente allegatum, foetus nimirum supremo labio carentis, ubi certè neque ulla præter naturalis observata fuit protuberantia, neque planities superficiei corporis fuit læsa, sed solummodo quædam inter partes faciem vel os obsolescentes defuit. Ergo non absurdum fore ducimus, præter illos Nævos statueri quoque *defectuosos*. Sed & quò pertinere censent id, quando Mater à fortuito in spectu magni alicujus ulceris vel tumoris ulcerosi, ita horrore vel terrore concutitur, ut in foetus corpore tale producatulr ulcus, difficulter vel planè non sanabile prout habentur exempla; unde aliud Nævorum introduci genus posset; Excavatorum scilicet.

§. VI. Subjectum Nævorum Maternorum inhæisionis. Commune & indeterminatum est habitus s. superficies totius corporis. Nullam enim ferè inter externas & aspectabiles corporis partes, ab hiscè exemptam esse observamus: utpote illis in hiscè subjectis locum sibi vendicantibus in facie & quidem ut plurimum: In aliis verò in fronte vel capitis parte pilosa: Interdum in brachiis, Pectore, Dorso, Ventre, Manibus & Pedibus, &c. Subjectum cuius Nævo proprium, Determinatum & adæquatulr est illa pars, cui vitium specificè inhæret, in quamq; tempore impressiois ab imaginatione ma-



ne matris determinatio facta fuit: Quæ, quomodo & cur in hanc potius quàm in illam partem fiat, inferiùs, explicatis antea horum geneseos causis, monstrabitur. Vicia Partium internarum ad Nævos referre indecens fore existimamus, quoniam illæ intra corpus existentes, à Matrum imaginatione non sic, prout externæ læduntur, remotæ utpote ab attractu, qui ad determinationem signaturarum requisitum ferè necessarium videtur, dum Mater<sup>um</sup> subitis suæ Mentis alienationibus huic vel illi parti manum admovere, & si signatio fit, illam partem viciatam evasisse observamus; Præterea Matres internarum partium levem gerunt curam, utpote eas hiscè in casibus extra periculum esse ducentes, sed de externis quòrum ornatui & pulchritudini unicè student, magis, & sæpius anxie sunt sollicitæ iisque propterea ex improvise species imaginatas applicant. Non est tamen negandum naturam in internis efformandis variè interdum ludere, verùm quia vitia ista non, nisi in sectionibus observari solent, nosque tunc an fortè Morbus in causa fuerit, vel mala partis in ovo dispositio, vel vitiosa nutritio, vel aliud quid præter imaginationem, sub hunc censum non sunt vocanda.

§. VII. Sed quia nulla talis in fœtus corpore absque imaginatione contingit impressio, ex parte nostra erit, ut, antequam ad Nævorum causas deveniamus, hujus rationem formalem aliquomodo tradamus. Quæ ad *Clarissimi & Acutissimi vieussent*: mentem, in primam & secundam distinguitur; Quarum primam nihil aliud esse dicit, quàm ipsammet Animam; spectatam, prout peculiarium quorumvis præsentium corporum Ideas admittere potest, eadem pro ipsorum natura exactè repræsentantes, juxta certos ab ipsis corporibus, organis sensuum mediatè vel immediatè admotis spirituum Animalium cursus in Ovali centro excitatos. Secunda verò itidem est Animæ potentia Ideas antea sibi oblatas, & in Cerebro hucusque absconditas objectis jam absentibus, solis Animalibus spiritibus suo intra Cerebrum fluxu eadem vestigia in ovali Centro rursùs exactè referantibus admittens, quæ Ideæ planè tanquam corporum præsentium exhibentur, minùs tamen vividæ. Sedem agnoscit Imago Cerebri ovale



Centrum, quod cum corporibus striatis, tanquam sensorio communi tam arctum habet commercium, ut varios hujus motus, variæ illius commotiones citissimè sequantur, & contrà. Ut sic contingente ab objecto sensuum, certo in spiritibus motu, imaginatio vel spontè succedat; si enim objectum tam validum est, ut levem spirituum efficiat undulationem, quâ objectum ope communis sensorij nos percipere sentiamus. undulatione quam paululum progressâ tale vel tale corpus esse, ratione motus contingentis nobis imaginamur.

§. VIII. Præterea foetum intra uteri parietes adhuc constitutum, independenter & quasi abstractè à Matre se habere non est credendum: Præterquam enim quòd vitalitatem ipsi ab illa ope alimenti, Providâ Naturâ, per peculiare propterea fabricatos ductus vasa umbilicalia appellatos, eò transecti, continuare sit datum; strictissimum adhuc inter illos fancitum est & inductum commercium, cujus vi Mater ferè nihil sibi proprii actionum animalium habet, sed illi cum suo foetu omnia sunt communia, ita ut cum Mater vel aliquid videat, audiat, sentiat; idem & videt, audit & sentit Infans: Gaudij item & tristitiæ; Passionum & cogitationum inter illos est consensus. Sanguine enim & spiritibus, in quibus hæc unio unice consistit iisdem omninò fruuntur, & quicquid foetus horum habet id Matri meritò debet. Hinc tamen non est occasio sumenda credere velle, quasi foetus de Anima sive Mente Matris participaret, quod absurdum valde foret; Talis enim Animæ communicatio & per traducem propagatio ab Aristotele credita non datur, sed propria cuivis foetui, post quidè plenariam corporis ipsius factam organizationè, quando nempe corpus sic dispositum est, ut Anima in illud agere possit & vicissim, quod juxta aliquorum computum 45. circa fecundationis diem à Deo τὸ πρῶτον ἡ ψυχή ipsi præponitur Anima, eodem momento ac est condita, corporique præfixa eadem perfectione ac excellentiâ pollens, ac Anima hominis adulti.

§. IX. Hæc, de qua dictum est aliquid, communicatio, qui contingat, arduum valde & difficile reverà est explicatu. Juxta Clariss. & Perspicaciss. Willis: minori cum labore



bore opus expediretur, statuentem : Quando nimirum Gra-  
vida objectum aliquod sensuum ope percipiat illius ideam à  
spiritibus Animalibus ab illo percussis ad sensorium commu-  
ne statim deferri, reliquosque spiritus in corporibus striatis  
hospitantes commotos ad nervorum appendicem deferri, per-  
que eum ad partes demandari, atque per fibrillas sanguivehis  
vasis implantatas sanguinis massam subire, & cum ipsa ad  
uterum pergere; ipsosque itaque cum sanguine permixtos,  
& per vasa umbilicalia ad foetum usque penetrantes, & ad il-  
lius cerebrum pervenientes, spiritibus in eo fabricatis chara-  
cterem in cerebro materno susceptum communicare. Quod  
(inquam) conceptu haud foret difficile, si solummodò illum,  
quem statuit spirituum per nerveas fibrillas vasis implantatas  
in sanguinem ingressum recipere auderemus, quod nobis ma-  
gnum nimis quod inde sequeretur spirituum Animalium  
dispendium, & eorum in corpore circulatio, quam tamen ne-  
mo ferè ratam habet, & quæ verisimilis nobis non videtur,  
dissuadet. De alia igitur commercij hujus explicatione sol-  
liciti, dicimus, illud quidem peragi ope spirituum ad uterina  
vasa affluentium, non verò eò per fibrillas nerveas transplan-  
tatorum, & cum vitalibus sanguinis mixtis, copiosius postea  
in foetus cerebro secretorum quod primo quidem intuitu con-  
veniens fore existimatur, sed cum perpendatur textura spiri-  
tuum Matris, cum eadem foetus, eorum certè diversitas facilè  
elucescit; ita ut etsi vasa ad foetum obeuntia tantum à Ma-  
tre spirituum acciperent vestigal, non tamen multò major  
eorum copia in infantis cerebro secerneretur, utpote eorum  
textura parvulo huic cerebro disconveniente: Contingit ergo  
hæc communicatio verisimiliter sequenti modo: Quando ni-  
mirum Mater vel cum levi attentione, aliquid sentit, audit,  
videt, patitur, imò paulò seriùs de quadam re cogitat, pecu-  
liaris & aliquantulò major intra Cerebrum, spirituum fit agi-  
tatio, ita ut spiritus aliquomodo excitati pleniori paulò juba-  
re nervos irradiant & per corpus influant, non quidem ita, ut in  
levi sensatione, manifesta in corpore Matris observetur eo-  
rum determinatio, vel sanguinis agitatio, quod tamen in per-  
ceptionibus nimirum affectu quodam concomitatis fit mani-



festum. Ita enim videmus quod non solum vultus, Os, Frons, Oculi, sed etiam vox ipsa, manuum, cervicis & totius penè corporis motus, animi commotionem prodant & adjuvent. Sic perturbationes Animi, imò & vitia ipsa extrinsecus se produnt. Hinc Salomon Prov. 6. Homo apostata, vir inutilis graditur ore per verso. Non enim verba actionibus respondent; Annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum. Sic si quid mirabile jucundi & inexpectati sese imaginationi sistit, oritur cachinnus. Ita pudore suffusus solet rubere facies. In ira itidem vultus rubet, oculi ardent, pulsus est crebrior & vehementior. Audacia quoque Animum addit, & magna ultionem vi aggreditur. Hinc tolluntur supercilia, fronsq; adducitur, &c. In Timore & metu spiritus in pedes fluere solent, & sic fugæ studetur. Ad objectum amabile Brachia extendimus. In Libidine spiritus versus genitalia membra magis vergunt. Et quæ alia sunt manifesta affectuum symptomata, quæ cum recensitis nostri propriè non sunt loci. Ex hiscè tamen colligere licet; in sensatione simplici in qua vel nulla observatur alteratio, spiritus nihilofeciùs motu paululò magis peculiari versus uterina vasa ruere, sanguinique specificum motum imprimere, eumque per vasa appropriata Cerebro fœtus affluentem eousq; retinere, ibidemque ejus fibrillas modo determinato movere, spiritibusq; in Cerebro existentibus & jam secretis, propter affinitatem quam cum iis quæ sunt in Cerebro matris habent ideam ab ea conceptam imprimere, & sic eandem in utroque cerebro efformari imaginationem.

S. X. Sicuti autem Deus in suis operibus nihil omninò unquam frustra agit sed omnium suarum creaturarum singulas certo & peculiari præfixit usui, prout id observare facile est in Amplissimo Naturæ campo s. Macrocosmo: Quàm multæ enim ibi inveniuntur herbæ, quæ viles aliàs & abjectæ videntur? Quàm magnus omnivariorum insectorum numerus? Grandis quàm Mineralium acervus; & innumera aliarum sub sole reperibilium rerum series; imò abjectissima Animalium excrementa? Quæ omnia præcipuè ad usum humanum *ὅτι τῆ κοσμογονίᾳ* sic fuere instituta. Sed non



non ille minùs in extruptione Microcosmi suam omnifapientiam detegere voluit: Ibi enim videtur, quomodo una pars ad alterius comòdum sit formata, quomodo omnes actiones exactè invicem respondeant, & tandem singulæ earum in usum publicum cedant. Ita neutiquam est credendum, quasi hæc à natura inter Matrem & foetum sancita communio, etsi sæpissimè si in ordinatio imaginationis Maternæ accedat, foetus extinctionis & Monstrosi, nævosiq; partus sit causa, frustra sit sancita & inducta. Haud enim levem illa in foetus gratiam secum fert utilitatem. Ab illa enim dependet, quod foetus nascatur Parentibus plerumque similis: Satis enim frequens est videre integras familias, quarum proles, cognitio solummodò Parentibus, dignosci, & ad illas referri possunt; & certè nisi matres tot externorum objectorum firmis imaginationibus essent occupatæ, foetus dubio procul ipsarum figuræ satis similes procrearent, & ipsarum typum exactè referentes. Non solum autem hæc communicatio in externa foetus forma effectus suos ostendit, sed & naturales Matrum habitus & inclinationes per eam in liberos transferuntur: Sic si sæmella quædam à natura pedibus sit celerâ, & ad choreas ducendas, gesticatoriosq; ludos maximè sit inclinata & disposita; Liberos procreabit ejusdem dispositionis & inclinationis, quibus si postea exercitium & manuductio accedat, versatissimi certè in hiscè evadunt. Sic si quædam sint Matres callidæ & versutæ à natura indolis, earundem liberi callidi & versuti (si nimirum gestationis tempore matri nihil, quod hanc dispositionem in vestigiorum Cerebri certa configuratione consistentem pervertat & aboleat) evadent. Ita se res habet cum iis quæ à natura stolidæ sunt. Ita quod huc quoque pertinet, integræ dantur familiæ caseum averfantes, eò quòd ipsarum Matres odio illum haberent: Sic canes venatici catulos enuntur feras similiter infestantes. Sic oves cunctæ fugient Lupos. Hæc tamen quæ de naturalibus habitibus sunt vera & experta, non obtinent de habitibus acquisitis: Ita Mater quæ exactè callet Musicam vocalem, quam tamen edidicit coactè, neutiquam concipiet foetus eandem tenentes artem & sonos eodem modo modulantes, quoniam vestigia illa in-



tra Matris cerebrum utpote acquisita, non sunt tam altè exsculpta, ac sunt vestigia naturalia, ideoque etsi illa Infantis Cerebro communicentur, non tamen profundè satis illi imprimuntur, neque firmiter ei inhaerent, sed à vestigiis ab aliis rebus frequenter insculptis sensim delentur, neque semper aperta tenentur, prout illa quæ sunt naturalia, cum è contra spiritus, naturalia continuè ineant, & sensim profundiora reddant, illis relictis clausis, usquedum illa res à qua sunt formata, Matris sensibus, vel Imaginationi obvertetur, & ita foetu ex utero enixo, & efficiente causâ remotâ paulatim evanescunt, spiritibus interea, naturalibus viâ tanquam regia spontè incedentibus.

§. XI. Sed è diverticulo in viam, positis enim & stabilitis in præcedentibus Nævorum quibus inniti solent fundamentis, ad causas illorum proximam sive continentem & efficientem simul pergimus, quarum illa cuilibet eorum speciei peculiaris est & propria, ita ut propterea omnes Nævorum differentias revidere, eorumque singulis suam tribuere causam oporteat: Nævorum qui foedo cutim colore deturpant, & in nigra vel fusca aliqua consistunt macula, majore vel minore; causam agnoscunt cutim hispidam aliquomodo & scabram, pororumque cutaneorum laxitatem & amplitudinem, ita ut tum ob asperitatem superficiei radii luminares non possint, eadem lineâ quâ inciderunt ad oculum reflecti, sed aliquomodo refringi necesse habeant; hæc verò causa sola tantam cuti non causaret nigredinem, nisi accederet adhuc pororum dilatatio, quæ radios absorbens illos reflecti non patitur. Et hæc duo hujus rei causam esse illi nos convincere possunt, qui multum sub sole ambulant, quorum cutis livida tandem tota evadit; item pilorum in illis partibus excrescentia, & nigrorum corporum aliorum respectu levitas. Fitque hæc nigra cutis macula, quando Mater ab aliquo ejusmodi coloris objecto terrore affecta similem Ideam foetus spiritibus imprimit, qui recepto hocce caractere in determinatam partem cum impetu prouunt, humores ibi existentes vehementer propulsantes & per poros,

eos



eos dilatando dissipantes, qui propter eorum incongruitatem fibrillas quasdam diffringentes cutis scabritiem, pororumque dilatationem & amplitudinem in quibus talium Nævorum ratio consistit causant. Macularum illarum flammearum & rubrarum, occasione vini rubri excitatarum causam puto sanguinem illam corporis partem largius alluentem, & cutim teneriorem & transparentem existentem. Sanguis enim ex lege naturæ omnes, etiam remotissimas à corde partes purpura sua aspergere debet, unde dependet floridus cutis nostræ color, sed cum in aliqua corporis parte arteriosa vascula proportionaliter sint ampliora, venosa contra angustiora, sanguis majori copia per ea affluens à venis omnis recipi nequit, hinc moram diutius trahens, concurrente cutis teneritudine eam sub purpuræ facie conspici facit; talis autem vasculorum cutisque textura à spirituum ab hac determinatione produci facile potuit. Cùm enim Mater vini rubri desiderio intensissimo flagrans, voto suo inopinato potiretur, summo certè gaudio affecta Animo subsultavit & præ lætitia faciei manum admovit eamque fricavit, spirituum cum sanguinis subsequuto rapido motu factum versus Ideam vini antea juxta hypothesin nostram jam habentem, novaque ob exortam in Matris mente gaudium, manusque applicationem, in ipsius spiritibus facta determinatione, quæ certa spirituum illuc ablegatio sanguini vehementem imprimens motum arterias dilatavit, cutimque aliquomodo extendit, quam texturam deinde partes illæ fervantes, rubicundam cuti colorem conciliarunt. Protuberantium Nævorum causam dicimus consistere in relaxatione fibrarum cutis carnearum, quæ pro diverso relaxationis modo, succum nutritium vel sanguinem majori copia admittentes cutim sublevant & variarum figurarum excrescentias ei imprimunt, pro diverso spirituum, juxta receptam in cerebro Idæam modificato influxu. Inconveniens pilorum ab imaginatione in hac vel illa parte excrescentia causam agnoscit pororum illius loci ampliationem, illa enim loca in quibus pori cutanei angustantur pilos non protrudunt, quod videre est in locis cicatrizatis, quæ cùm antea pilis fuissent confita, postea ob carnis firmio-



firmioris generationem depilia plane permanent; Frigidī quoque Temperamenti homines pilorum copiosā prurptione non multū molestantur, quod de sequiori sexu utpote talibus obtinet; dum ē contra virorum & aliorum qui calidi sunt temperamenti corpora imprimis verò mentum cum genis & pectore pilorum serie conspersa sunt conspicienda. Quæ pilorum prurptio à spiritibus Animalibus eorum characterem suscipientibus, glandulasque ad pilorum nutrimum succum majori copia admittendum disponentibus adscribendā. Ulcerosos Nævus pro judicio nostro sequenti modo fieri existimamus: Matrem nimirum Hominem aliquem in certo corporis parte fœdum ulcus gerentem conspexisse, à cujus aspectione illa terrore horroreque correpta spiritus vehementi motu in illum locum præsertim demandavit, & forsan dolorem aliquem ibi percepit; sed cum fibræ in Matris corpore validæ nimis fuere, quàm ut earum ruptio potuisset contingere; factum est ut dum Infantis spiritus eandem receperint Idæam, è folio suo imperuosè profluentes in illam partem, fibrasque teneras & molliusculas ibi inveniētes illas vehementiore hoc impulsu diffringerent, & vulnus primò producerent, quod postea humoribus extravasatis ac putredinem contrahentibus in ulcus degenerabat. Eodem prorsus modo factum fuisse illud vulnus, quod Cornelius Gemma nobis refert, cujus casus descriptionem superiùs §. II. tradidimus, putamus. Et quod talis fiat spirituum in illam corporis partem influxus, ei quam in objecto malè affectam & in nobis affectum excitantem videmus, respondentem parti, multiplici nobis confirmatum est experientia, Idq; præter alia Exempla firmiter nobis probat illud Cl. Malbranchij, ab Amico ipsi rescriptum: Sene quodam (inquit ille) qui apud sororem meam degebat, ægrotante; factum est ut Ancilla candelam admoveret, dum ipsi (Ægro) venæ pedis inciderentur, simul ac illa scalpellum vidit infixum tantus pavor ipsius invasit artus, ut per triduum aut quatrividuum in eodem pedis loco, quem viderat incidi, senserit dolorem aded æcerbum, ut per illud tempus in lecto decumbere coacta fuerit. Cùm itaque tale quid in Matris corpore contingere potest, & reapse contingit,



tingit, sequitur ut juxta hypothefin de communicatione inter Matrem & foetum stabilitam idem multò magis in Infantis corpore eveniat, quod cùm tenerum, fi non inftar ceræ flexile fit, feq; ad violentos spirituum determinationes variè flectere & figurare finat, omnes ei impressos nævos ex hocce principio, quantum licet clarè explicare possumus.

§. XII. *Causam remotam internam quærimus in imaginatione, absque enim illa nulla unquam foetui contingere potest signatura nævus Maternus dicenda. Et licet hæc sola heic in causa sit, non tamen omnis & quævis ea virtute pollet, sed Matris imaginatio solùm: Eximenda itaq; est ea ex parte Patris, contra Authoritatem Aristotelis, Plinij, Avicennæ, plurimorumque veterum Authorum, quorum circa hanc rem hæc fuit opinio: Nimirum quasi species Phantasticæ in congressu per nervos communicentur semini, quas postea eocum in Uterum ejaculari, Muliebriq; semini communicari, & conformatricem sic dirigere crediderunt. Quibus quidem concedimus spiritus Animales objecti imaginati characterem recipere, & ab eo motum magis specialem sibi contrahe- re, sub qua motus specie per nervos quoque ad vesiculas feminales, unde semen in congressu unicè excernitur abiens, ipsarum fibras ad majorem vel minorem, vehementiorem vel debiliorem contractionem instigare potest, quæ tamen non est apta genitalem liquorem taliter disponendi, ad foetus staminibus, præter motum, aliquem imprimendum characterem, talis enim imaginatio Auræ seminali majorem imprimere motum non valet, utpote antea jam maximè, & spirituum Animalium ad instar activæ, neque motum illius ita specificè potest alterare, ut illa alteratio potis sit foeturam nævosam ex ovulo producendi, etenim si hoc esset, impressio, à semine contingere debita, non possèt occupare unicum & quidem tam exiguum locum, sed potius totum Ovulum cum suo contento malè afficeret, & sic foecunditatem ipsi auferret, vel monstrum inde produceret. Fieri enim nequit ut peculiaris hic feminis motus, tam delicatula atque tam exigua offendens foetus stamina, ad certam partem, cùm nulla ibi detur vis directrix, unicè vergat, quin potius in omnes partes indi-*



scriminatim vim suam exerat. Manet ergò juxta nos Matris  
imaginationem solummodò foetus signare posse.

§. XIII. Neque heic existimandum est omnem indiffe-  
renter Matris imaginationem tali pollere virtute, sed eam  
solummodò, quæ Animi Affectibus est comitata. Conspiciat  
enim Gravida tabulam, in qua depicta sunt turpia Animalia.  
Leones trucibus oculis, magnis unguibus & acutis dentibus  
prædita; aut adspiciat Leonem & Ursum vivos, sed absque  
aliqua mentis alteratione, ita ut eorum imaginationem nulla  
sequatur Animi passio. Sic si simpliciter & absque commu-  
tatione intueatur mures per pavementum cursitantes, vel si  
ejus oculis obversentur amœni fructus, quorum etsi pulchri-  
tudinem attento intuitu consideret absque forti desiderio,  
nullam foetus læsionem id causabit: Verum quidem est, quod  
secundum principium nostrum, foetus circa hæc imaginatio-  
nem suam æquè formet ac Mater, sed quia illa nuda imagi-  
natione subsistit, neque passione aliqua inde se obrui patitur,  
spiritus extra ordinem non perciti, & in foetus cerebro tran-  
quilli manentes nullam in corpus violentiam exercent. Cùm  
verò Mater fortuito alicujus objecti intuitu, de quo aliàs ipsi  
metuendum non foret, animi Pathemate fortiter percellatur,  
ita ut spiritus in seditionem inde adacti cum furore in partes  
ruant, varia ex hac occasione in tenello corpore stigmata inuri  
possunt.

§. XIV. Inter Causas externas, Procatharticas & occa-  
sionales referri possunt omnes omnino res quæ aliquem in no-  
bis producere possunt affectionem: Sint Bonæ, sint Malæ;  
Naturales vel præter naturales; Animatæ aut inanimatæ;  
Præsentes sive absentes, etsiam si nihil ex sua natura in se habe-  
ant quod aliàs patheticè nos afficere posset: Verùm nulla ferè  
res est, quæ non, vel nostri, vel sui ipsius respectu ad passio-  
nes nos disponere queat: Nostri respectu, quatenus objectum  
aliquod propositò, vel quatenus illud fortuito aspiciamus: Vel  
quâ illud consideramus tanquam Bonum vel Malum. Si ex  
proposito aliquid intueamur. Illud quatenus per se naturæ  
nostræ est Amicum vel Inimicum, ita etiam imaginari nobis  
possumus. Si verò ex improvîso aliquid nobis obveniat,  
hunc



hunc vel illum sensum afficiens, iudicium de illo præcipitanter nimis ferimus, & statim si illud nobis malum & noxium videtur, Terrorem, si verò bonum & utile subitaneum gaudium inde concipimus. Respectu objecti ipsius, quatenus illud afficit vel sensus nostros externos vel internos. Externos si præsens, Internos verò si sit absens. Objectum præsens si nobis revera sit conducibile gaudium & inclinatio- nem. Absens tale Desiderium. Malum præsens Terrorem Absens verò Timorem causat.

S. XV. Causarum Labyrintho egressis una & altera nobis restat decidenda quæstio: Prima est (cùm dictum sit Imaginationem Animi Pathematibus comitatam foetum solummodò signare) quænam sint illa pathemata quæ foetui nævos imprimere valent, vel num omnia eam vim habeant. Ad quam respondendum venit, illas hoc facere Passiones quæ spirituum motum validius accelerare possunt, ex quorum censu mihi videntur esse: Gaudium, Ira, Desiderium & Terror. Igitur quia non omnem Imaginationem unus ex his Affectibus sequitur, non omnis etiam foetum signare potens est. Nulla tamen contingit ferè in nobis imaginatio quæ non ullum Animi affectum pedisse quam habeat, qui cùm sit unus ex quatuor recensitis, & quidem non inferiore, sed superiore gradu, characterem foetui imprimet, majorem vel minorem, magis vel minus observabilem. Quod autem quatuor enumerati hi affectus hoc præstare possint, id præter rationem Experientia nos docet: Non enim rara sunt illa Exempla, ut Gravidæ vel propter rem aliquam desideratam, ipsis denegatam, vel propter possessam ablatam, ita indignentur & irascantur, ut spiritus tumultuosè concitati, & in corporis partes, vel omnes eadem rabie, vel unam determinatè, impingentes Infantis spiritus, interveniente motu sanguinis, propter ejusdem rei imaginationem eodem furore concitent, qui postea Nævum rem eandem assimilantem, indeterminata parte insculpunt, vel etiam quandoque totum corpus informe & monstruosum reddunt. Ratione id constare debet, quæ edocti scimus, illum affectum foetui majus minari periculum, qui spiritus vehementius exagitat, id quod de Ira planum est.



Subitum Gaudium quod illud possit, confirmant illæ, quæ fructum aliquem magnoperè & diu desiderantes, inopinatò illam sibi offerri vident, quæ oblatio subitum ipsis gaudium concilians, fœtui ejusdem figuræ nævum affigit, id quod mensententia gaudio potius subito, quàm verò desiderio intenso juxta alios adscribi debet. Quamvis verò fortasse quivis mihi concedat, duos hosce affectus fœtui Nævus conciliandi vim habere, id tamen mihi quoque concedendum erit, eos tam frequens non signare, quàm verò alteros duos affectus, Desiderium nimirum & Terror, à quibus omnes ferè fœtuum Nævus vulgus studet derivare, & unde reapse sunt derivandi: Desiderium quod talem habeat virtutem, id minimè jam quondam latebat binos illos Medicorum Antesignanos: Hippocratem & Galenum. Etenim Hippocr. Libr. d. super fœtat. dicit: Si Mulier Gravida Terram aut Carbones comedere desideraverit, eademque comedat, in capite pueri notæ à talibus apparebunt. Galenus itidem lib. d. Theriac ad Pisonem dicit: Mulieres pulchras proles habere desiderantes, eas aliquando acquirere, si pulchras picturas intuitæ fuerint; quibus verbis hoc saltem innuit, solum & nudum desiderium per se fœtum posse signare, & non semper id facere propter alias passiones ipsum consequentes. Mirum verò non est desiderium quandoque ad fœtus signationem concurrere, cum Gravidis iste Affectus sit valde frequens & intensus, quo in cibos quandoque, sæpius & alia, longo tempore feruntur, ut patet in Pica. Ardens tale desiderium Nævum imprimere posse haud difficile est evictu; Dum enim Mater E. g. fructum aliquem pictum vel vivum in imaginatione sua altè abscondat ejus habendi flagrantissimo desiderio simul detenta, eundem & fœtus imaginatur, desideratque, & si propterea mater spiritus suos turmatim atque determinatè in corpus ableget, idem in fœtu contingere non est dubitandum, sed cum ejus corpus tali impetui resistere nequeat, oportet vestigium objecto simile in ipsius corpore relinquatur. Magis autem signatur Infans cum Mater re desiderata potiri non potuit, quàm è contra. De Terrore, qui omnium Affectuum fœtum signat frequentissimè, nihil habemus cur miremur, utpote cum



cum sit Affectus omnium maximus & efficacissimus, valde re-  
pentinus, humores & spiritus summo impetu movens, & o-  
mnes facultates maximoperè turbans, foetuiq; præprimis in-  
fensissimus hostis; Ille enim spiritus ex improvise obruens  
eos gravissimè consternit, sed qui se recolligentes eodem ferè  
momento majorem invasionem faciunt, prout id testari nobis  
possunt illi, qui ab aliqua re deterriti, dolorem percipiunt in pe-  
de, vel brachio aliaq; parte, qui dolor certè nulli rei, quàm verò  
spirituum impetui potest adscribi, cum verò spiritus in Ter-  
rore tali motu concitentur, oportet ut ejusdem motus naturam  
etiam ille sanguinis sequatur, qui ad Uterina vasa deveniens i-  
psi sanguini & spiritibus foetus communicetur, qui spirituum &  
sanguinis motus, nisi abortum (quod plerumque fit in terrore  
graviore) efficiat, characterem foetui imprimere valet. Non  
solum autem quatuor enumerati Affectus foetui Nævum im-  
primere vim habent, sed & eorum adhuc alii, v.g. Amor, Ve-  
recundia, &c. de quibus etiam habentur exempla, paulò ta-  
men rariora & quæ huc afferri superfluum fore duximus.

§. XVI. Ast cum de Affectibus, si ad nævos foetui im-  
primendos debent concurrere requiratur, ut sanguini ab Ute-  
ro versùs foetum abeunti peculiarem concilient motum, qui  
verò aliter non potest effici, nisi interventu spirituum Anima-  
lium ad quævis sanguifera vasa abeuntium, obstare tum vi-  
detur circa Terrorem, quòd vulgò de illo dicatur, ipsum spi-  
ritus à partibus externis versùs internas vel principium suum  
movere, quod cum verum sit, eos quoq; in illo ab utero recedere  
debere, & sic nullam in foetus corpus vim exercere posse. Ad  
quod respondere oportet, id quidem verum esse de quibus-  
dam Hominiibus, in quibus Terrore affectis observantur, faciei  
pallor, pedum tremor, Horripilatio & alia symptomata, spi-  
ritus organa derelinqentes arguentia; cum verò in aliis è  
contra observari soleant faciei rubor & cordis palpilatio, quæ  
non quidem causæ mox allatæ, sed contrariæ adscribenda  
sunt, (hæc enim potiùs à vehementiore spirituum in cor influ-  
xum deducenda esse existimamus) inde manifestò videretur eun-  
dem Affectum primo diverso modo in diversis subjectis spiri-  
tus movere posse, quod etiam planum evadit in Ira, quæ in  
hisce



hiscè Hominibus faciei Pallorem, in aliis verò ejusdem ruborem efficit. Etsi tandem concedatur hanc spirituum extremorum derelictionem generatim esse veram, considerari tamen deberet, spiritus si ab aliis, v. g. externis partibus recedant, in alias, internas scil. copiosius influere necesse habere, & sic necessariò etiam ad Uterum, utpote qui ab eodem nervorum, octavo nimirum & intercostali, pari, cum corde & aliis visceribus propagines recipit. Alia ex hac explicatione exurgit difficultas, quomodo scil. in externis partibus foetui possint nævi imprimi, cum foetus spiritus, qui sunt eorum causa efficiens, eundem observare debeant motum cum spiritibus Matris, qui si ad interiora recedant, id quoque in illis contingere debere, & hoc modo nævum imprimi neququam posse. Quæ difficultas ita tolli mihi videtur, nimirum dicendo, hanc spirituum in interioribus moram non diu durare, quin illi se recolligentes paucis post momentis pristinam determinationem resumant & majori impetu externis partibus impingant, sicque stigma rei imaginatæ simile foetus corpori inurant.

§. XVII. Nova heic occurrit Quæstio, cur scil. eadem res imaginata non semper & in omnibus subjectis eundem imprimat Nævum, sed sæpius diversum. Ut dum aliquando Cerasa, Mora desiderata exprimuntur solummodò colore, & maculâ aliquâ rubicundâ; interdum productâ substantiâ carneâ, rotundâ, coloratâ vel non coloratâ. Sic dum Animalia, à quibus Mater Terrorem concepit, interdum exprimit sola cicatrice in foetu producta, istum vel morsum referente; interdum pilis productis, pellem Animalis obscure referente, quod sæpius apparet, quando Mulieres à Gliribus aut Muribus perterritæ fuère. Interdum excrecente aliqua substantiâ carnea, illius Animalis similitudinem reddente, ut Mulier illa à Lacerta territa. Dum interdum tandem à Gladii ictu terrefacta mox vulnus foetui infligit, mox verò cicatricem solummodò imprimat &c. Quamvis revera difficilis sit & ardua in hujus rei causam inquisitio, non tamen propterea presso ore quæstionem relinquere, sed potiùs eâ quâ possumus diligentia in illam inquirere oportebit:

Diver-



Diversitatis autem hujus rationem quærimus, primò in diverso imaginandi modo, oportet enim, ut, si imaginatio hoc in casu effectum fortiat, is fiat, ad normam ejus circa quod illa maximè & præcisè fuit occupata, quodque præ cæteris objecti qualitatibus & attributis affectum excitavit. Contingere enim potest, ut si gravida fructus aliquos intense desiderans, iisdem inopinatò potita magno afficiatur gaudio propter admirandum illorum colorem, & tunc in illius fructus colore consistet Nævus, si quidem Imaginatio cum affectu non aded fuèrefortes, & fœtus partui fuit proximus. Sic Mater à Fele, Cane aut alio Animali deterrita, non quidem propter turpem & fœdum ipsius pilorum colorem, sed potiùs propter metum alicujus morfus, Notà aut Cicatrice vulneris signabit fœtum magis quàm pilorum excrescentià; si verò Imaginatione adversi pilorum coloris terretur, in pilorum potiùs productione Nævus consistet, & sic de omnibus. Alteram rationem quærimus in Imaginatione cum Animi Pathematibus fortioribus vel debilioribus, ad hoc enim producendum major requiritur spirituum Imperus & Abligatio quàm verò ad aliud, cùm faciliùs producat Nævus minor quàm verò major; faciliùs lævis aliqua rubra macula, quàm verò major quædam protuberantia. Tertiã causam tandem tribuimus tempori impressionis diverso; minor enim requiritur vis ad impressionem faciendam in corpusculo teneriore & molliusculo, quàm grandiore & fortiore. Si enim Imaginatio sit fortis, & fœtus pauciorum septimanarum, magna fieri potest impressio, quæ non ita, si fœtus sit adultior & firmior. Et hæc tria sunt, quibus adscribi posse existimamus diversitatem Nævorum, quos idem objectum in hoc subjecto inculpat potiùs quàm in alio.

§. XVIII. Succedit nobis tempus Nævorum Impressionis determinandum, quod dubio procul est totum gestationis tempus, non quidem à prima conceptus hora ad partum usque, sed ab eo tempore, quando fœtura in utero existens manifestis cum Matre viaculis incipit conjungi, & partes, Cerebrum imprimis sunt plenè formatæ, Embryo enim in Ovo intra uteri terminos contentus, nec per placentam & umbili-



umbilicalia vasa utero conglutinatus; proprio intra tunicas suas nutritur Alimento, nullam cum Matre communicationem habens: quàm primùm autem uteri parietibus, placenta & vasorum umbilicalium ope est affixus, tam arctum cum Matre init foedus, ut nisi illius subsidio vitam continuare nequeat, utpote à qua humores, spiritusque suos foeneratur; & mox ab hoc tempore, quando scil. foetus nomen fortitur, Matris Imaginationis vitiiis, (Nævis) deturpari incipere, & huic afflictioni ad partus usque tempus subjectum esse credimus, exemplis per totum hoc tempus observatis suffulti, quamvis imaginationis vitia in primis mensibus abortus plerumque causa existant, minùs verò ultimis mensibus. Conconceptus tempore Nævus effici posse non concipimus, Mater enim tunc temporis spiritus ferè omnes generationis organis impendens ad objecta externa non multum attendit, nec objectorum antea imaginorum eo tempore reminiscitur. Et quamvis Mater affectu quodam gravi illa hora obrueretur, vix tamen ille majorem & magis versùs uterum determinatum spiritibus imprimere posset motum, eo quo in actu venereo illuc amandantur. Posito tamen Matrem tam firmam & fortem formare Imaginationem, quæ aliàs satis foret, ad signaturam foetui causandum, persuasum nihilominus difficile est credere, nævum illam producturam tantùm, quin magis monstroso partui, vel in foecunditati ansam præbituram, spiritus enim magna rabie ovulum offendentes Embryonis delineationes tenerrimas, & oculis quoque Lynceis haud perceptibiles, si non annihilarent & pessundarent, confusè tamen illas disponerent, & sic monstrofi partus productioni fores panderent.

§. XIX. Alia adhuc, non quidem præ cæteris minus spinosa restat explicanda quæstio: Cur sc. Nævi Impressi non in eadem semper, sed in diversis exurgant partibus? Etenim mox perterrita Mulier à lacerta ipsius pectus insiliente illam partem signat; mox à mure terrefacta nævum imprimit Genis. Alia fructuum desiderio æstuans signaturam exsculpsit in fronte, dum aliæ eas affigant Brachiis, femoribus, cruribus vel etiam natibus, &c. Ad quam responderi debet; Illam partem



partem Jure tentari circa quam imaginatio vel unice vel maxime versabatur. Mulieres enim cum re terrificâ, Amabili, &c. Simul coimaginantur aliquam ex corporis partibus vel in consideratò & casu, vel quatenus Gravidæ notum comperuntq; habent, Parhemata ipsorum fœtibus exitiosa, aut noxia esse, eos vel extirpando, vel maculam ipsis inurendo, illorum ideo pulchritudini studentes, mox, imo ut plurimum & imprimis de facie, mox de alia parte, quæ rei imaginatæ ab Homine vel animali desumptæ responder, timent. Quandoque locus determinatur ab ipso objecto, se uni alterivè parti applicante, ut à Lacerta Mulieris pectus insiliente, quæ attactum ibi contingente persentiens, necessario mentem cum spiritibus illuc applicavit, quod idem contingens in fœtu characterem illi parti impressit. Ratio autem cur nævi diversis partibus & quidem frequentissime faciei imprimantur, magis generalis, est derivatio quæ fit à Matre, mediante manûs alicui parti applicationis & fricationis, assuetum enim hominibus & imprimis fœminis est, in Terrore, Timore, subita Lætitiâ & ejusmodi Affectibus faciei manum admovere, vel caput fricare, unde tunc Nævus in illa parte conspiciendus præbetur. Non solum enim Imaginatio circa illam partem maxime occupatur, & ided spirituum manipulos præprimis illuc amandat, sed & spiritus propter partis attrectationem & fricationem in illum locum spontè se projiciunt. Et ided non malè momentur gravidæ, se se in aliqua parte occulta & ignobiliore fricare, cum aliquid insoliti & terrifici vel horrendi vident, vel aliquo violento motu rapiuntur, ut Nævus ignobili illi parti insilatur, facie illasâ, quæ derivatio revera experientia teste sic solet contingere, & quidem mediante illa fricatione, qua papillulæ nerveæ violenter titillatæ spiritus abundè illuc proliciunt, ita ut idea rei imaginatæ ibidem loci & non alibi imprimatur.

§. XX. In Prognosi Nævorum, plurimas de iis spargentes nugas, multa inde auguria, ex superstitionis mente, & Partum philosophicè formarunt Philosophi & Physiognomici veteres. Multa enim infortunia futura, violentos exitus, & alia ejusmodi farinæ ex iis prælagierunt, minus verò præviderunt,



derunt, & ided imprimis, quoniam ex Astrorum conjuncturis eorum originem crediderunt; Sed nos hanc eorum causam rejicientes & aliàs Astris nihil tribuentes in Prognosi faciendam temerarii non sumus, sed cautè & rationabiliter quoad eorum præcognitionem judicium nostrum formabimus. Dicimus ergo Nævos, cum inter Symptomata illi à nobis referantur, quâ talia nullas lædere actiones, nec iis aliquid minari mali. Interdum tamen ut causæ se habentes eas lædere posse. Cæterum illi nihil alunt periculi, & præterquam quoddam formositati derogent vel nihil incommodi corpori afferunt. Interim curatu sunt difficiles, & quandoque, præsertim in adultis incurabiles, & eorum cura remediis vehementioribus & corrosivis peragi debita, sæpius evadit periculosa; In infantibus tamen multoties procul discrimine tolluntur.

§. XX. Avidum cum sit humanæ vitæ genus scire remedia, cuncta corporis sui mala, non solum graviora & interna, sed & omnes affectus præternaturales externos, præsertim verò eos quæ Amœnitatis vultus speculum obnubilant atque conspurcant, & inter illos etiam valde ipsis execrabiles in facie conspiciendos Nævos proscribere; Illorum ided examine theoretico hucusque peracto, Curæ quoque diligenter studebimus. Indicationum quidem non omnia nostros affectus tangunt genera; præter enim Præservatoriam atque Curatoriam nulla heic in usum venit vocanda. Quæ enim à viribus desumitur, illis utpote integris & illæsis persistentibus exulari debet; Itidem & Mitigatoria sive Symptomata, quoniam nulla illi accersent & post se relinquunt gravia & urgentia Symptomata.

§. XXII. Diæticam curam nobis etiam in curando Nævos productos adminiculi aliquid, & corpori affecto solatii asserre credimus, maximè illos in quibus unitas est soluta. Aër ergo sit purus, clarus, nullis inquinamentis & acris halitibus inquinatus, non frigidus, sed ad calorem magis vergens & rarus potiùs quàm crassus. Cibi sint dulces, & *Χυμοί* & *Απαλοι*, atque pauci. Potus naturæ & ætati conveniens, utilissimus erit decoctum aliquod vulnerarium ex Herbis talibus, vitetur verò acidus & salsus. Reliquæ ex n. n. rebus



rebus medio modo se habeant. Pathemata maximè vitentur: In præservatoria cura quæ matrem tantum modò tangit, illa graviditatis tempore imaginationem suam probè dirigere studeat, ita ut illa non sit in una re nimis defixa, sed moderata, objectorum Essentiam ritè considerans, nec falsas & excessivas qualitates ipsis attribuens, ne vel eorum nimia despectione aut magnæstimatione Animi Affectus excitentur, quæ potissima sunt Nævorum occasio, ideoque illis maturè frenum est injiciendum & eorum antecedaneis, v. g. fœdarum, horrendarum, crudelium, admirandarum & infuetarum, novitiarum, terribiliumq; rerum inspectioni, Subitaneorum clamorum, motitationumq; auditioni & quæ huc facere possunt præveniendum. Gravidæ ècontra magnanimitati operam dent, & propterea nonnunquam remediorum sanguinem & spiritus confortantium. Eg. Aq. Cinamom. Balsam Embryon. Cardiac. off. Confect. Alkermes. vel de Hyacintho compl. si nimirum suaveolentia perferre possint, aliquid assumant.

§. XXIII. Novimus Curatoriam Curam Indicationem nobis suppetere Generalem illam, malum causæ proximæ ablatione esse tollendum, hic enim Medici in omnibus morbis primarius est scopus, cui intentus maximè esse debet studium suum nervosque huc omnes intendens, & quamvis interdum affectum curatu difficilem, si non immedicabilem agnoscat, ægro tamen auxilium anxie efflagitante, nullum non movens lapidem satisfacere debet. Verùm cum hæc generalis Indicatio, malum esse tollendum, nisi magis particularifetur, sit quasi inutilis, oportet ut illam indicationibus particularibus & huic subministrantibus in effectum ponamus, videndo: Ubi, quando, quantum, quo modo & ordine sit agendum, quæ omnia in genere sic determinari nequeunt, sed à cujuscunque affectûs differentiis, accidentibus, Indole, magnitudine, parte affecta, causis, co-et contra indicantibus dependent. Quantum autem ad Nævos ingenere, eorum aliqui curari possunt, alii sunt incurabiles; curantur ij, qui non sunt aded magni, & quorum curatio tentatur in Infantia Annis, quique medicamentis tutioribus minusq; fortibus tolli se patiuntur; nisi partem corporis teneram, & valdè sensilem occupent, &



Nævi non sint ex genere defectuosorum. In quibus autem hæ conditiones, circumstantiæ & cautelæ minùs observantur, vel non curantur, vel difficulter & in tutò.

§. XXIV. Quoad Nævus protuberantes illi, si quidem non sint magni, tolli possunt per Medicamenta *Καθαριστικά* *Συμπίνα* & *Καυσικά* cautè adhibita & cùm judicio applicata, pro ratione enim illorum facilè magnæ oriuntur hæmorrhagiæ, & periculosæ superveniunt inflammationes, pessimis comitatæ symptomatibus. Nævorum igitur si sint magni, cura hiscè non est instituenda; præter enim symptomata metuenda, Nævi quoque loco turpis exurgeret Cicatrix, partem illo multò magis deformans. Quæ verò in eorum censum veniunt, sunt: Alumen, Antim. calcinat. Calx viva, viride Æris, Vitriol. calcinat. Mercur. præcipitatus rub. sublim. corrol. Arsenicum. Auripigmentum. Ol. Vitrioli sulphuris. Aqua fortis. Quibus excrecentiæ per vices sunt tangendæ & conspergendæ, & usq; dum planè sint exesè emplastris siccantibus sunt deligandæ, tandem tuberculo planè ablato vulnus probè & cum diligentia cicatrizandum. Vel Spir. Sal. Armon. cum Calce parato cutis est aspergenda, qua aspersione ejus fit excoriatio Ol. ovorum sananda. Si tuberculum altiùs promineret, filo, Ol. sulphur. madefacto abscindi posset, vel Lapide infernali tangi, aut Lapidi caustico officin. subjici: Quod si præter expectationem sanguinis nimium proflueret, Liquori styptico ex vitr. Romano & Alumine parato listi posset. Si quis autem cura hac dolorificâ & quandoque periculosa deterreretur, & nimiam tamen Nævi excrecentiam metueret, huic satisherî posset adhibitione remediorum adstringentium, quorum ope fibris vasculorum cutis constrictis, serum superfluum é poris exprimitur & ulterior tantâ copiâ affluxus præpeditur, cujus gratiâ potest inspergi pulvis ex corticibus granat. R. Aristoloch. rot. cap. mort. vitr. Alumine usto, Mercurio præcipitato albo commixtus. Vel fofus ex decocto adstringente, vel lintea aquâ styptica vel Tinct. Antiptififica applicari. Quibus mediantibus si eminentia non auferatur planè, imminuetur tamen & ulterior ejus auctio præcavebitur.

§. XXV. *Νέαν*



**§. XXV.** In Nævis planis hujus vel illius coloris fusci præprimis, Lividi flaviq̃ue eo annitendum est, ut pori ampliati augustiores reddantur, & lævor cuti inducatur. Priori scopo satisfaciunt med. Leviter astringentia ex Geruss. & Lithargyr. parata, etiam tinct. Benzoin. Multum heic conducere mihi videtur, Lac illud Virginis Cl. Blanckard. ex Alum. crud.  $\zeta$ iv. Aq. commun.  $\mathfrak{ss}$ j, ad trium part. consumptionem coct. & Lithargyr.  $\mathfrak{ss}$ β. Acet. vini  $\mathfrak{ss}$ i. separatim coct. philtrat. & cum prior. decoct. confus. & usque dum albed. acquirat agitat: quod crebrò usurpatum non solum astringit, sed & intra poros cutis particulas suas albicantes relinquit. Quæ lævorem, candorem & tersiticiem cuti conciliant sunt omnia cosmetica, inter quæ primas tenent Linimenta ex Talco, magist. marcasit. Mercur. præcipitat. alb. ol. sem. quatuor frigid. vel nucl. pini parat. quæ ex Benzoin. styrace parantur, imprimis exhiscè cum adhuc aliis destill. Aq. Cosmetica. Quæ omnia ritè & longo satis tempore in usum vocata maculis his obscurum eorum colorem demere, & reliquo cutis similes reddere posse existimamus. Simili ferè modo, imò faciliore abigi posse maculas rubicundas, quæ sanguini propter arteriolarum nimiam ampliationem sub cute illius partis tardius circulanti ortum debent, ducimus, ad quas tamen præter astringentia & discutientia leviora externa, etiam interna concederemus haud præposterè, v. g. Aq. Plantag. Burs. Past. Torment. Syr. Myrtillor. Plantag. Cydonior. conserv. Ros. r. Lap. Hæmatit. Corall. Sang. Dracon. &c. ex quibus pro necessitate variæ concinnari possent formulæ. Vel utiliter posset bis & die intro assumi vitrum plenum succi ex Herb. Plantag. & Bursæ Past. Externè potest applicari Epithema ex Aq. Ros. Sambuc. Fl. Sulphuris. Sal Saturni. & Camphora, vel succus Herb. prædict. in usum potest vocari, frictio quoque cum Aceto Saturni dulciss. cum quibusdam guttis  $\Omega$ \*ci, prodest.

**§. XXVI.** Pilosi Nævi extirpari necesse habent medic. eorum defluxum producentibus, quæ pilorum radices in glandulis subcutaneis pedem figentes erodunt, quæ erosione nutrimento spoliati, & eorum fundamento destructo decidere



coguntur. Medicam. hæc Psilothra vocantur, cujusmodi compositum quoddam est sequens. ℞. Auripigm. ꝑviij. Calx viv. ꝑx. Amyli ꝑij. quæ lixivio quodam in formam linimenti redacta pilosæ parti illinantur. Heic valent quoque succi. Thithymalor. Hiosciam. Cicutæ. Bryoniæ. Betæ & sempervivi. Quod si pili sint extirpati ne rursus revertantur, glandulæ pilares cuticulæque pori planè sunt constringendi, quod efficaciter præstat sequens liquor destillatus. ℞. Corn. Vaccæ. Alum. Roch. sem. papav. n. á. q. ʒ. sang. vaccini recent. ꝑij. macerentur, destillantur & applicentur semel de die. Superfunt nobis adhuc curandi Nævi excavati, quorum peculiarem tradere Methodum supervacaneum nobis viderur, utpote quorum species nonnisi vulnus sunt & ulcus, quæ singula juxta generalem suum modum à magnitudine & situ eorum determinatum & specificatum sananda. Ultimo tandem loco succedunt Nævi defectuosi, quorum curationem in partium productione consistentem suscipere vel promittere temerarium nobis viderur, cùm nulla post corporis formationem de novo generentur partes, quas nihilominus tamen cura aliqua palliativa, interdum Chyrurgicâ, Curtorum distâ, non aded exactè, quin magis aliquomodo rudiusculè restituere, credulæq; hominum turbæ facileque deceptibili pro veris vendere sufficit.



## COROLLARIA.

1. **M**ercurius corpori inunctus Paralyseos causa & remedium esse potest.
2. Medicamenta electivè purgantia dari verum.
3. Venæsectio in principio febris malignæ conducit, in progressu verò nocet.

4. Lan-



4. Languidorum à vini generosi haustu subitanea refectio non à particulis vini spirituosis fibras nervas linguæ vel ventriculi ingrediuntibus, sed illas titillando spiritus excitantibus dependet.

5. Spiritus vitalis sanguinis est admittendus.

6. Narcotica & Anodyna in Pleuritide sunt exulanda.

7. Catarrhi non sunt defluxiones Cerebri, sed glandulosarum capitis partium.

8. Mox ante Thermarum usum corporibus plethoricis sanguis est subducendus, ne dum calidæ infessu motus ejus acceleratur, extravasationes contingant.

9. Etiam Cibi ad Spirituum Animalium materiam contribuunt.

10. Medicamenta Chymica tuta sunt æquè ac Galenica.

11. Menstrua sanguinis excretio soli sanguinis abundantia est ascribenda.

12. Quodvis, vel etiam minimum corpusculum potentia visibile existere debet.

F I N I S.





1. Quodvis, vel etiam minimum corpus  
abundantia est steruenda.  
2. Mentis sanguinis excreto soli sanguis  
Galeni.  
3. Medicamenta Chymica tunc sunt apta ac  
rigitur continentur.  
4. Item Opi ad spiritum Animalium mate-  
riam mentis apta sunt.  
5. Maxime Theriacum ubi corpus ple-  
glandularum est spiritum.  
6. Cerebrum non sunt desideranda Cerebrum, sed  
ultra.  
7. Paracelsus & Avicenna in Pleuride sunt ex-  
sanguis.  
8. Spiritus vitæ sanguinis est admittendus.  
9. I. agendum à vini generis lactu sibi.  
non testis non à partibus vitæ sibi habet, nec  
vni liguor vel ventriculi sibi habet, sed sibi  
utilitudo spiritus exannus dependet.

F I N I S





© The Tiffen Company, 2007

# TIFFEN® Gray Scale

- A** 1  **R**
- 2**  **R**
- 3**  **G**
- 4**  **B**
- 5**  **B**
- 6**  **M**
- 7**  **W**
- 8**  **W**
- 9**  **G**
- 10**  **G**
- 11**  **K**
- 12**  **K**
- 13**  **C**
- 14**  **C**
- 15**  **Y**
- 16**  **Y**
- 17**  **M**
- 18**  **M**
- 19**  **M**



# TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

